

## † R. P. Eduardus Meehan (1886-1951)

(Prov. Tor.)



« Subitanea mors - Clericorum sors ». Huius dicti veritatem suo inopinato obitu nuper confirmarunt duo eximii sodales Provinciae Torontinae, RR. PP. E. Meehan et A. Mc Neil.

Sabato 16 Iunii, ergo in pervigilio festi B. M. V. de Perpetuo Succursu, P. Eduardus Meehan in domo Quebec inventus est h. 3,15 p. m. absque vita iacens in pavimento sui cubiculi. Manibus iunctis videbatur revera « dormire in somno pacis », ut Canon Missae loquitur. Triduo ante illud festum solito zelo administrarat sacramentum poenitentiae in nostra

S. Patritii ecclesia et visitarat suos infirmos in nosocomio nostris curis commisso. Mane illius sabbati in vetusta ecclesia S. Patritii in via Mac Mahon Missam pro sposo et sponsa celebraverat.

Mors adeo inopinata sacerdotis dilectissimi valde commovit totam paroeciam. Quam carus esset parochianis, demonstrarunt tot lacrimae ad feretrum fusae, et insolitus ad funus concursus. Exsequiale Missam cantavit fratris filius R. P. Matthaeus Meehan.

Defunctus confrater erat filius nostrae paroeciae Torontinae S. Patritii, natus ibi 27.3.1886 et baptizatus 4.4. Annos natus 20 ingressus est nostrum novitiatum Annopolitanum (USA) et 30.6.1912 in Esopus sacerdotalem ordinationem recepit.

In patria Canadensi strenue laboravit inde ex a. 1915, occupatus opera paroeciali variis locis suaे Provinciae. Triennio 1921-1924 fuit Rector domus Brandon, Manitoba, postea derelictae.

Post subitaneum obitum scripsit quidam in periodico *Madonna of P. H.*, Iulio 1951, p. 223: « P. Eduardus Meehan erat amatus ab omnibus, sed praesertim ab hominibus valde provectae aut valde exiguae aetatis. Senes et parvuli plus ceteris eum deflent. Aegrotis quoque erat angelus consolationis. Post eius mortem in tabula reliquit elenchum 39 infirmorum, quibus regulariter sacram communionem portabat. Fortasse pauci Redemptoristae etiam a confratribus tam sincere et tam communiter amati sunt quam P. Meehan. Utinam iam consecutus sit illam coronam caelestem, quam S. Alfonsus iis, qui in Congregatione cum observantia vivunt ac moriuntur, promisit ».